

stitutione & officio, & in omnibus arteria est; sinister ventriculus in aortam, & per arterias in universum corpus.

Isti duo motus, auricularum unus, alter ventriculorum, ita per consecutionem fiunt, servata quasi harmonia & rhytmo, ut ambo simul fieri, & unus tantum motus esse appareat, præsertim in calidioribus animalibus, dum illa celeri agitantur motu.

Nec aliâ ratione id fit, quam cùm in machinis, una rota aliam movente, omnes simul moveri videantur; & in mechanico illo artificio, quod sclopetis adaptant; ubi compressione alicujus ligulæ, cadit silex, percutit chalybem & propellit, ignis elicitur, qui dum in pulverem cadit, igitur pulvis, interius prorepit, disploditur, evolat globulus, metam penetrat, & omnes isti motus, propter celeritatem, quasi in nictu oculi simul fieri apparent.